



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De quodam monacho eiusdem coenobij, qui sanctam Maria[m] ad vigili-
as circuire, & singulorum monachorum vulius detegere vidit, duobus tantum
neglectis, cap. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Alius quidam ex monachis eiusdem loci, vir tanta gratia dignus, nocte quadam dominam nostram sanctam Mariam vidit eorum psallentium circuire, & singulorum monachorum vultus detegere, duobus tantum neglectis, ex quibus vnus mox incurrit apostasia; de altero quid adhuc futurum sit ignoratur.

CAPVT XIX.

In eodem cenobio monachus quidam, nocte quadam putans in oratorio nolam ad matutinas esse pulsatum, cum multa festinatione surgens, oratorium intrauit, veniensque ad presbyterium, circumluminaria claritatis, ad instar iridis formatum, in aere super altare conspexit. In quo Dei filium Salvatorem nostrum Iesum Christum cum beatissima matre sua Maria contemplatus est, & circa ipsos ex omni parte multitudinem Sanctorum, illorum maximè, quorum in ecclesia reliquie continebantur. Nouerat enim illorum nomina, eo quòd quandoque ibidem fuisset sacrista. Nec mihi constat, si idem fuerit qui supra. Scite eo in loco prædicto, ait domina nostra duobus angelis: Adducite eum ad me. Quo facto, cum literas in circuitu coronæ beatæ Dei genitricis scriptas legere iuberetur, nec posset; ait illa angelis; Deponite eum ad terram, ibique petens veniam dicat angelicam salutationem, & reducatur. Quod cum factum fuisset, & adhuc easdem literas minimè legeret; tertio eodem modo depositus & reductus, literas quidem legere & intelligere potuit, sed ne scripturam ulli hominum proderet, interdicitum accepit. Quo ad terram ab angelis deposito, disparuit hæc visio. **APOLLONIVS:** Mitto, si sic Domina nostra visitet perfectas feminas, quomodo viros: **CAESARIUS:** Non est apud ipsam differentia, femina nata est, omnium virorum caput Christum ex se genuit, vtrumque sexum consolatur & visitat, vtrique sua secreta reuelat. Hoc esse verum, magis tibi ostendam exemplis, quam verbis.